

bilia hujus mundi elegisti, et contemptibilia, et ea, quae non sunt, tanquam quae sunt, ut ea, quae sunt, evacuares. Et tamen idem ipse minimus apostolorum tuorum, per cuius linguam tu ista verba sonuisti, cum Paulus proconsul per ejus militiam debellata superbia, sub leni jugo Christi tui missus esset, regis magni provincialis effectus, ipse quoque ex priore Saulo, Paulus vocari amavit, ob tam magnum insigne victoriae. Plus enim hostis vincitur in eo, quem plus tenet, et de quo plures tenet. Plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. Quanto igitur gratius cogitabatur Victorini pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinebat. Victorini lingua, quo telo grandi et acuto multos permerat: tanto abundantius exultare oportuit filios tuos, quia rex noster alligavit fortem, et videbant vasa ejus erepta mundari, et aptari in honorem tuum, et fieri utilia Domino ad omne opus bonum.

CAP. V. QUAE REMORABANTUR EUM A CONUERSIONE.

Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim et ille narraverat. Postea quam vero et illud addidit, quod imperatoris Juliani temporibus, lege data prohibiti sunt Christiani docere literaturam et orationem: quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit, quam verbum tuum: quo linguas infantium facis disertas: non mihi fortior quam felicior visus est, quia invenit occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido: et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servi-